

www.libtool.com.cn

Lc 40. 625.

Vol. 1876.



www.libtool.com.cn

www.libtool.com.cn

Steinmeyer, Rudolf. 1874.

o

www.bibliopha.com
DISPUTATIO

DE

OMISSA A CICERONE,

UT QUIBUSDAM VIDETUR, OFFICII DEFINITIONE

(Ad CIC. DE OFF. I., 3 INIT.).

~~~~~  
**DISSERTATIO INAUGURALIS**

QUAM

AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN ACADEMIA ROSTOCHIENSI

**SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES**

RITE CONSEQUITUS

*Rudolf*

SCRIPSIT

**RUDOLPHUS STEINMEYER**

HANNOVERANUS.

—◆—◆—◆—  
o **ROSTOCHII.**

TYPIS EXPRESSIT CAROLUS BOLDT.

MDCCCLXXIV. —

LC 40.625

[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)

1876, April 18.  
Gift of  
the University  
of Rostock,  
Germany.

**I**nterpretes, qui in hac re dijudicanda multum inter se discrepant, in duas fere partes discedunt. Altera pars contendit, in capitis tertii paragrapho septima et octava re vera definitionem officii inesse, altera pars negat. Qui negant culpam aut in Ciceronem conferunt, quippe qui promissi immemor haud adposuerit officii definitionem, aut librariorum negligentiam reprehendunt, qua factum sit, ut illa definitio a Cicerone re vera allata desit in nostris libris.

Hic non quaerendum est, num omnino disputatio de officiis proposita bono jure definitione carere possit, quippe qua addita nemo magis id intellegat, quid sit officium, cum hujus rei notionem a nullo ignorari recte possit statui. Nam etiamsi Cicero non in quaque re inquirenda quamvis esset nota semper ut rei definitio adderetur postularet (cf. de fin. I., 9, 29), ut ratione et via procederet oratio, cum in nostro loco perspicue dicat, in disputatione de officiis officii definitionem male praetermitti, quin etiam propter id ipsum, quod eam omiserit, Panaetium Stoicum, quem in his libris ducem sequitur, vituperet, dubitari omnino non potest, quin in animo habuerit, in initio totius institutionis definitionem officii afferre, quod aperte dicit I., 2, 7:

„Placet igitur, quoniam omnis disputatio de officio futura est, ante definire quid sit officium“.

Si igitur in iis, quae sequuntur, definitio agnosci non posset, aut librarii aut Cicero ipse magnam culpam admisisset. Eorum interpretum, qui in sequentibus quid sit officium definiri negant, altera pars Ciceronem ipsum negligentiae accusat. Cujus sententiae patronus exstitit imprimis Hottingerus, qui in adnotationibus, quas germanicae horum librorum interpretationi addidit, haec habet:

„Es ist offenbar, daß Cicero hier eine allgemeine Erklärung der Pflicht erwarten läßt, ungeachtet weder hier noch im Verfolge eine solche gegeben wird. Dies müßte ganz natürlich auf zwei Vermuthungen leiten: entweder, daß durch die Nachlässigkeit der Copisten eine Lücke im Texte entstanden sei, oder daß Cicero, nachdem er für gut befunden, die Abtheilung der Abhandlung selbst und der verschiedenen Arten von Pflichten vorangehen zu lassen, am Ende sich seines Versprechens nicht mehr erinnert habe. Ich trage um soviel weniger Bedenken, der zweiten Meinung beizutreten, weil die häufigen Spuren der Eilfertigkeit, womit Cicero seine philosophischen Schriften verfertigt hat, ein solches Versehen nur allzu wahrscheinlich machen“.

Non ignoro, quaestionem de hac officii definitione esse difficillimam atque equidem vix spero, me alios interpretes ad eam sententiam, quam re accurate perquisita recte se habere persuasum mihi est, esse perducturum; sed id pro certo affirmaverim, Hottingeri opinionem, quippe quae sit Cicerone indigna, esse falsam.

Minime iis assentior, qui quidquid ab antiquitate nobis traditum est quasi divinitus inspiratum admirantur, equidem potius crediderim, quod ab Horatio de Homero dictum est A. P. 359, interdum dormitasse bonum Homerum (cf. Hor. sat. I., 10, 52) ad omnes antiquitatis scriptores pertinere, non quod illos optimos scriptores minus admirandos esse putem, sed quia et nobis et illis dignius censeo, ut egregia illa antiquitatis monumenta non vana superstitione sed recto iudicio utentes admiremur, nam mihi persuasum est, fore ut quo magis illa scripta intellegamus, eo maiore admiratione ea prosequamur, etiamsi agnoscamus, ea non usquequaque vitiis esse vacua. Meo quidem iudicio ne Cicero quidem omnino reprehensionem vitavit, praesertim in libris, quos de philosophia scripsit, qui non aequè atque orationes epistolaeque ex ipsius ingenio prodierunt. Adcessit difficultas latini sermonis non facile novas res recipientis et persequentis, adcessit, quod Cicero qua erat animi sollicitudine cum de philosophia scriberet, minime idoneus erat ad hanc materiam,

quae animi tranquillitatem postulat, ubique accurate explicandam. Quibus rebus factum est, ut meo quidem iudicio nonnulla in Ciceronis libris quae sunt de philosophia inveniantur, quae sint aut a Cicerone ipso non recte excogitata aut cum a Graecis sint tradita male intellecta aut propter illam difficultatem, de qua supra dixi, obscure expressa (cf. de hac re Madvg. de fin. LXV. ss.). Sed fac Ciceronem cum nonnulla non recte excogitaverit vel expresserit levem culpam admisisse, num propterea in eum gravissima vitia possunt conferri? Minime. Est modus in rebus, sunt certi denique fines, ultra quos Ciceronem peccasse nefas est putare. Tale autem vitium est illud, quod Hottingerus ei tribuit. Cicero promittit officii definitionem, Cicero vituperat Panaetium, quod eam praetermiserit, Cicero pronuntiat, omnem institutionem, quae ratione suscipiatur, a definitione debere proficisci — eundemne Ciceronem brevi temporis momento interiecto propter oblivionem definitionem omisisse! Talis mihi quidem Cicero non apparuit, certe si Hottingeri sententia esset vera, tempus in Ciceronis sententiis explicandis atque intellegendis collocatum perditum iudicarem.

Antequam igitur inquiram, num in capitis tertii paragrapho septima et octava officii definitio insit, Hottingeri sententiam, ex qua si quid est omissum culpa in Ciceronem transfertur, falsam esse declaro.

Restat igitur alterutrum: aut deest definitio, si quidem in paragrapho septima et octava non inest, librariorum culpa, aut illae paragraphi continent, quae Cicero promisit.

Codices, quibus Ciceronis scripta continentur, minime mendis vacant, etiam verba non raro omissa sunt, sed sine ullo lacunae indicio, sine verisimili explicatione, quomodo orta sit, lacunam statuere, mihi quidem periculosum esse videtur. Sed etiamsi externa lacunae indicia desunt, tamen agnoscenda erit, si sententia ut statueretur postularet aut certe eam verisimilem esse doceret. Consideremus igitur nostrum locum, quemadmodum in codicibus nostris traditus est, ut inquiramus, utrum officii definitio in eo insit necne.

„Placet igitur, quoniam omnis disputatio de officio futura est, ante definire, quid sit officium: quod a Panaetio prae-  
 termissum esse miror. Omnis enim, quae a ratione susci-  
 pitur de aliqua re institutio debet a definitione proficisci, ut  
 intellegatur, quid sit id, de quo disputetur.

Omnis de officio duplex est quaestio. Unum genus est, quod pertinet ad finem bonorum, alterum, quod positum est in praeceptis, quibus in omnes partes usus vitae conformari possit. Superioris generis hujusmodi sunt exempla: omniane officia perfecta sint, num quod officium aliud alio majus sit et quae sunt generis ejusdem. Quorum autem officiorum praecepta traduntur, ea quamquam pertinent ad finem bonorum, tamen minus id apparet, quia magis ad institutionem vitae communis spectare videntur: de quibus est nobis his libris explicandum.

Atque etiam alia divisio est officii. Nam et medium quoddam officium dicitur et perfectum. Perfectum officium rectum, opinor, vocemus, quod Graeci *κατόρθωμα*, hoc autem commune officium vocant. Atque ea sic definiunt, ut rectum quod sit, id officium perfectum esse definiant: medium autem officium id esse dicunt, quod cur factum sit ratio probabilis reddi possit“.

Omissis nonnullis variis lectionibus, quae ad quaestionem de definitione absolvendam nihil valent, hic sufficiat summam sententiae percipere.

Si in hac re inquirenda primum eos sequimur, qui officii definitionem in sequentibus desiderant, illi ita fere argumentantur: Cicero loquitur de officio perfecto et officio medio sive de officio, quod pertinet ad finem bonorum et de officio, quod positum est in praeceptis, quibus in omnes partes usus vitae conformari possit. Tum definit et perfectum officium et medium, sed definitio generis officii, cui singulae species et perfectum et medium subjungantur deest. Quae generis definitio perspicue atque aperte promissa est verbis: „placet igitur ante definire, quid sit officium“. Ciceronem hanc definitionem omisisse credi non potest, deest igitur librariorum culpa.

Concedamus generis definitionem excidisse; tum necesse est eam posse suppleri. Quatenam autem est illa generis definitio, quae olim hic fuit? „Facile, respondent illi, cum ex Stoicorum doctrina, quam Cicero in hac re sequitur, tum ex ceteris Ciceronis ipsius scriptis restitui potest. Ita fere Cicero olim scripsit: Omne, quod ratione actum est, officium appellamus. — Sed in capitis tertii paragrapho octava legimus: „medium autem officium id esse dicunt, quod cur factum sit ratio probabilis reddi possit“. Apparet, hanc definitionem nihil fere differre ab ea, quae illi interpretes de genere officii statuunt; at omnino incredibile est, Cicero-nem plane eodem modo et genus et speciem definiisse. Quod fieri non potuisse, etiam illi concedunt. Sed quomodo ex hac difficultate nos expediamus? — Illi interpretes paragraphum octavam spuriam esse asseverant. Quod si verum esset, omnia recte se haberent. Cicero promittit officii definitionem, Cicero stat promisso, sed librariorum culpa definitione caremus. Postquam Cicero quid sit officium exposuit, genera officii nominat atque de quo genere hic locuturus sit pronuntiat. — Sed quibus rationibus freti hujus loci integritatem addubitant? Nullum externum indicium exstat, quo suspitio muniatur; contra quod Heiniius putat, generis officii definitionem etiam tum in libris fuisse, cum paragraphus octava insereretur, periculosum videtur. Quo modo quamvis idoneam rationem invenissemus, propter quam postea illa generis definitio esset omissa, interpolatorem incredibilis fere stultitiae insimularem. Quis enim, si antecederet generis definitio, quam supra substituimus, adderet officii medii definitionem, quam nostri codices praebent? — Heinii igitur opinio, paragraphum octavam esse additam, illa generis officii definitione nondum deleta, non ita magnam habet verisimilitudinem; sed propterea non jam tota haec sententia de illa paragrapho reicienda est, nam cogitari potest, generis definitionem jam olim nescio quomodo excidisse atque paragraphum octavam multo post ab interpolatore quodam esse additam.

Examinemus igitur argumenta, quibus usi illam para-

graphum spurium esse imprimis Heinius atque Ungerus demonstrare conati sunt.

Verbis: „atque etiam alia divisio est officii,“ Ungerus inquit, „adnuntiatur divisio, quae ab illa antea proposita est diversa; sequitur autem nulla „alia“ divisio officii, nam perfecta officia sunt genus, quod pertinet ad finem bonorum i. e. ad summum bonum et media officia eadem sunt, quorum praeceptis usus vitae conformari possit“.

Sed errat Ungerus. Primum enim proprio sensu divisio officii nulla antecedit. Fieri igitur non potest, ut divisio paragraphi octavae, quae est re vera divisio officii, congruat cum divisione paragraphi septimae, quae est divisio quaestionis officii.

Cicero quidem dicit in initio paragraphi octavae alia est divisio officii, sed non recte, certe non accurate dicit; ad verba enim „unum genus“ non „officii“ sed „quaestionis“ supplendum est. Hoc ut contendam exempla quae sequuntur mihi persuadent. Nam omnia officia perfecta sint, num quod officium aliud alio majus sit, exempla sunt quaestionis, non officii.\*) Sunt igitur exempla quaestionis officii, quae in illa priore parte tractantur. Equidem concedo, ex his quaestionibus officii notionem sequi. Cicero autem si propriam divisionem afferre voluisset, ita fere dicere debebat: Una quaestio pertinet ad finem bonorum, unde sequitur, quid sit officium, altera pertinet ad res medias, ex qua officia ducuntur. Tum haberemus divisionem in officium atque officia. Latet igitur re vera divisio officii sub verbis paragraphi septimae, Cicero igitur pergere

---

\*) Unum igitur quaestionis genus pertinet ad finem bonorum. Finis bonorum est summum bonum cf. de fin. III., 7, 26, de fin. II., 2, 5. Summum bonum Cicero ipse definit de fin. I., 9, 29, esse id, ad quod omnia referri oporteat, ipsum autem nusquam. Stoici in ipsam definitionem includebant officii et virtutis significationem. Quam definitionem reddit Cicero de fin. II., 2, 5, summum bonum id esse dicens, quo omnia quae recte fiant referantur, neque id ipsum referri.

poterat non ita magna culpa admissa etiam „alia“ divisio est officii, quasi „divisio officii“ non „divisio quaestionis officii“ antecederet, sed perspicue verbis ipsis paragraphi septimae non expressa est. Propterea Ungerus dignus est, qui vituperetur, nam omnino confundit divisionem officii atque divisionem quaestionis officii.

Sed haec culpa levis est. Accedit aliquid, quod multo majoris est momenti. Ungerus enim contendit illam definitionem officii, quam in paragrapho septima latere docuimus, ab illa posteriore paragraphi octavae in officium perfectum atque medium nihil differre. Errat Ungerus. Quod definitionibus officii perfecti atque officii medii a Cicerone paragrapho octava allatis recte perspectis a nullo posse negari credo. Nam si Cicero de officio loquitur, quod pertinet ad finem bonorum, spectat finem, ad quem nostrae actiones diriguntur, si autem officium perfectum definit, id esse, quod sit rectum vel recte factum, ut ita dicam, ad radicem, ex qua nostrae actiones nascuntur, respicit. Me quidem non invito illud prius officium, quod ad finem bonorum pertinet, appelletur officium perfectum, sed tum semper animadvertendum est, „perfectum“ vocabulum hic alio sensu adhiberi atque in divisione, quam paragraphus octava praebet. Illud, scilicet perfectum officium quod officiis opponitur, rem respicit — si licet finem bonorum i. e. apud Stoicos virtutem ita appellare — nulla ratione habita ejus, qui officium praestat; hoc, cui officium medium oppositum est, nos qui officia facimus respicit, nulla ratione rei habita, ad quam actio referatur. — Concedatur nullam actionem ad finem bonorum ipsum pertinere posse, quae non a summa illa convenientia, in qua virtus est, proficiscatur, concedatur plurimas actiones, quae ad res medias pertinent i. e. quae magis ad institutionem vitae communis spectare videntur, etiam quod ad originem, ad animum, unde proficiscantur attineat, officiis mediis esse adnumerandas: tamen aliquid interest inter has divisiones, divisionis enim ratio est diversa. Sed non solum in disputatione, sed re vera aliquid interesse in his divisionibus, luculento exemplo demonstrabo.

Depositum reddere, quod ad rem attinet, semper est in officiis, nunquam est officium, cum non ad finem bonorum, ad virtutem ipsam pertineat; sed num propterea semper in officiis mediis habetur? Minime. Si a sapiente i. e. si juste fit, quod ad hominem qui agit attinet, est officium perfectum. Perspicue igitur docuisse mihi videor, officii divisionem, si ita nominare licet, quam paragraphus septima praebet, ab illa in paragrapho octava allata, quod ad cogitationem attinet semper, in vita certe non nunquam, scilicet in omnibus sapientis actionibus, quae ad res medias pertinent, differre. Ut unico exemplo quod exstat utar. Christus si promissum fecit, si depositum reddidit, ut paucis dicam, in omnibus perficiendis, quae ad institutionem vitae communis spectant, officiis est functus, quae quod ad rem attinet, officia media dicere liceat, sed haec omnia officia cum a summa illa convenientia profecta sint, quod ad Christum attinet, inter officia perfecta referenda sunt.

„Alia“ vocabulum igitur nullam praebet offensionem, cum re vera divisio sequatur, quae ab illa e paragrapho septima elicienda est diversa.

Deinde Ungerus dicit, res orationemque nostri loci satis ostendere, eum non a Cicerone esse profectum.

Grave sane argumentum! Quo dummodo aut res aut oratio quod Ungerus vult doceret, tota haec quaestio esset absoluta.

Quod ad res attinet, confiteor me non intellegere, quo jure Ungerus contendat, eas Cicerone esse indignas, cum idem dicat, paragraphum octavam eandem divisionem continere atque septimam, quam a Cicerone scriptam esse ipse non negat.

„At adduntur in paragrapho octava definitiones perfecti officii atque medii. Propter quas fortasse Ungerus putat, totum locum Ciceroni esse abjudicandum“.

Si re vera noster locus talis exstaret, qualem Ungerus laudat: „perfectum officium rectum vocemus, rectum quod sit, id perfectum esse definiunt“ non solum Cicerone, sed quovis homine ratione praedito esset indignus atque Unger

adnotatio: „ein Synonymum für das andere setzen, ist noch keine Definition“ recte se haberet. Sed locus non ita in libris scriptus est, ut Ungerus dicit. Haec sunt verba, quae codices uno consensu praebent: „perfectum officium rectum, opinor vocemus, quod Graeci *κατόρθωμα*,” sequitur „rectum quod sit, id officium perfectum esse definiunt“. Non debebat Ungerus „officium vocabulum in posteriore sententiae parte omittere, maximi enim est momenti, nam non „perfecto“ respondet rectum, sed „perfecto officio“ et rectum est id, quod recte factum est. Quae est Stoicorum definitio Cicerone non indigna.

Quod ne medii quidem officii definitio Ungero placuerit miror, cum Cicero saepius hoc officiorum genus eodem fere modo definiat (cf. de off. I., 29, de fin. III., 17, 58). Ungerus dicit, medium officium ita definiri non posse, si perfecto officio opponatur; medium secundum Stoicos esse, quod neque in bonis ponatur neque in contrariis. — Officium medium ita definiri posse non nego, sed hic ipsa de causa, propter quam Ungerus aliam definitionem postulat, scilicet quia officio perfecto opponitur, contendo rectius definiri, „id esse, quod cur factum sit ratio probabilis reddi possit“. In hac enim divisione, ut jam supra dixi, non tam de rebus, quam de nobis agentibus agitur. Si igitur officium perfectum per „rectum“ vocabulum definitur i. e. quod recte factum est, quod proficiscitur a summa illa convenientia, in qua virtus est, etiam in medio officio describendo animi, ex quo actio prodit, ratio habeatur necesse est. Quodsi quam Ungerus postulat definitionem haberemus, certe non necessario fieret. Nam „quod neque in bonis ponitur neque in contrariis“ facile etiam de rebus, ad quas nostrae actiones diriguntur, intellegi posset. Quod ab nostri loci sententia plane alienum esset. Hic probabilitas non de rebus, sed de nobis in his rebus agentibus dicitur. Sed in his definitionibus omnino non quaerendum est, utrum Cicerone sint dignae necne, sed utrum cum Stoicorum doctrina congruant necne. Quod si non esset, non ideo noster locus spurius esset habendus, sed multo rectius Ciceronem Stoicorum doctrinam perperam intellexisse statueretur.

Si Ungerus putat, nostri loci auctorem Ciceronem esse non posse, cum hic commune officium pro nomine proprio dicatur, quod nunquam a Stoicis factum sit, in eo quidem recte iudicat, quod in Stoicorum doctrina nunquam commune officium pro medio dictum est, sed tantum abest, ut hac re quod Ungerus vult demonstretur, ut appareat, nostrum locum ab Ungero non recte esse intellectum, cum hic commune cum officio coniungendum esse censeat.

Interpres cum hunc locum non recte intellexerint alii aliud mutaverunt. „Hoc autem commune officium *καθῆκον* vocant“ Fr. Maturantius in probatae fidei codicibus invenisse testatur. „Hoc autem commune officium quod ii *καθῆκον* vocant“ Venet. 4 praebet. „Hoc autem commune officium *καθῆκον μέσον* vocant“ nonnulli interpretes scripserunt; plerique usque ad hunc diem scribi volunt „hoc autem commune officium *καθῆκον* vocant.“ — Non recte, si quid video. Etiam si in libris exstaret *καθῆκον* vocabulum, meo quidem iudicio esset delendum, cum commune officium nunquam in arte pro medio dictum sit tanquam nomen proprium, quomodo hic poneretur. Loci ab interpretibus laudati ad hanc conjunctionem evincendam omnino nihil valent, cum ubique commune sit adiectivum ad substantivum officium appositum, exempli gratia de fin. III., 18, 59: „Ita est quoddam commune officium sapientis et insipientis et quae sequuntur“ commune cum officio non ita coniungendum est, ut quasi una sit notio, sed de officio in hac sententia praedicatur commune esse sapienti cum insipiente. Similiter ceteri loci sunt explicandi (cf. Madvig. ad Cic. de fin. III., 18, 59). In huiusmodi rebus Ciceroni, si ut intellegeretur cupiebat, quidquam mutare omnino non licuisse per se patet. Scribendum igitur est cum plurimis iisque optimis libris: „hoc autem commune officium vocant“. Atque hoc commune est coniungendum; officium est, — est quod de „hoc communi“ praedicatur.

„Hoc“ dicit Cicero, quod his libris de medio officio agitur; „commune“ dicit, quod hoc solum in hac vitae mediocritate cernitur atque commune est sapientis et

insipientis, ~~perfectum autem officium~~ ad philosophum solum pertinet.

Officium pro „officio medio“ dictum est plane eodem modo quo Graeci *καθῆκον* pro *καθῆκον μέσον* dicere solebant.

Primum igitur non recte interpretatur Ungerus, deinde hac falsa interpretatione utitur ad evincendum aliud quod non minus est falsum, scilicet ad evincendam interpolationem.

Sed videamus, num altera Ungeris opinio de oratione sit verior.

Equidem periculosum puto, de oratione tam parvae partis judicare. Quo de in nostris scriptoribus, quorum orationem multo accuratius cognoscere possumus, cum nobis liceat nostrae ipsius linguae naturam atque indolem magis perspicere, iudicium ferre non audemus, ad iudicandum de eo in aliis scriptoribus, quorum opera ne omnia quidem habemus, sumus audacissimi. Quibus in rebus iudicandis cauti simus necesse est, imprimis in Ciceronis scriptis quae sunt de philosophia, quae cum et celerrime sint composita et multas locutiones contineant a Cicerone ipso inventas, tale iudicium respuunt. — Quod in nostro loco latinis verbis graeca redduntur, cum ex Ciceronis consuetudine fiat, certe hac re Ungeris opinio non firmatur. — Equidem orationem huius loci tamdiu Cicerone dignam iudicabo, donec quae Cicerone sint indigna accuratius demonstretur.

Sed aliud argumentum affert Ungerus, quo nostrum locum subditiuum esse demonstretur. Paragrapho septima explicatio, inquit, de officiis vitae communis adnuntiatur, paragrapho nona incipit a verbis: „triplex igitur est, ut Panaetio videtur, consilii capiendi deliberatio“. Ad institutionem autem vitae communis deliberatio referenda est. Similiter Heinius.

Sed paragraphum octavam spuriam esse, non eo demonstratur, quod paragraphum nonam cohaerere cum paragrapho septima ostendimus; sed eo tantum demonstratur, paragraphum octavam sine magno sententiae detrimento deesse potuisse;

ut doceatur, quod illi volunt, potius ostendendum est, paragraphum nonam bene cum paragrapho septima, sed male cum paragrapho octava cohaerere. Quod imprimis Ungero difficillimum sit, qui paragraphum octavam nihil novi afferre contendat. Cum autem paragraphus octava Ungero auctore non re sed verbis tantum a paragrapho septima differat atque paragraphus septima bene cum paragrapho nona cohaereat, paragraphus octava quod ad rem attinet — atque hoc gravissimum est — bene cum paragrapho nona cohaereat necesse est.

Quod Heinius dicit, Ciceronem si hujus paragraphi esset auctor, III., 3, 14 ubi de eadem distinctione loquitur, ad hunc locum respecturum fuisse, hoc si de libris de officiis disputatur, ubi Cicero saepius quae jam antea dixerat, iisdem fere verbis repetit, nullo illius prioris loci respectu, temere contenditur. — Accedit, quod hunc locum Cicero ex suo ipsius ingenio adjecit, ut quodammodo suae rationi, secundum quam omnis institutio a definitione debet proficisci, satis faciat, postea autem ut jam antea Panaetii Stoici vestigia premit. Quo facilius fieri poterat, ut, cum definitio officii a Cicerone addita cum tota dissertatione parum cohaereret, Cicero nunquam ad eam recurreret. Denique Heinius, ut nostrum locum spurium esse demonstraret, hoc affert: „Das Ganze ist eine verworrene und ungeschickte Zusammenstellung aus III., 3, 14 und vielleicht de fin. III., 17, 58“. Quod nihil est nisi opinio, quam veram esse demonstrare Heinius omisit. Equidem spero, me postea, ubi ad singula explicanda pervenero, esse ostensurum, haec omnia non ita confusa esse, ut Heinius contendit. Alterum, scilicet nostrum locum conflatum esse ex duobus aliis III., 3, 14 et de fin. III., 17, 58, nisi de interpolatione ipsa jam constat, plane inane est. Tum si de verisimili interpolationis origine quaeritur, hujusmodi sententia quae examinetur digna esse potest, sed ad interpolationem ipsam demonstrandam omnino nihil valet.

In argumentis examinandis, quibus freti Heinius atque Ungerus nostram paragraphum ab interpolatore esse additam contendunt, magis magisque mihi persuasum est, totam hanc

sententiam de interpolatione ita fere esse ortam. Primum viri illi docti, cum in paragrapho septima et octava illam generis officii definitionem a Cicerone in initio hujus institutionis promissam non invenerint, definitionem, qualis ex Ciceronis ipsius scriptis atque imprimis ex Stoicorum doctrina sequi videbatur, substituerunt. Quacum medii officii definitio paragrapho octava allata cum non congrueret aut illam generis definitionem ab ipsis substitutam falsam aut paragraphum octavam non a Cicerone esse profectam necesse erat. Hoc cum magis placeret, quomodo optime demonstraretur quaesiverunt. — In qua argumentatione cum unicum verum argumentum scilicet propter definitionem generis officii ab ipsis allatam paragraphum octavam stare non posse, tacerint, quod omnia quae illi proferunt partim falsa partim levia sunt, non mirandum est.

Cum igitur videamus, si ponimus, definitionem officii in paragrapho septima et octava non inesse, hac urgere lupum hac canem, iterum atque iterum inquiramus necesse est, num re vera in nostro loco desit illa definitio?

Cicero in paragrapho septima pollicetur, se quid sit officium esse definiturum. In paragrapho septima et octava nusquam generis officii definitionem inveniri, cui officia perfecta et officia media subjungantur, meo quidem iudicio a nullo potest negari; quibus enim verbis expressa esset? Quapropter cum non concedamus definitionem universi officii temere omissam esse sive a Cicerone sive a librariis, quaeramus nam hoc loco omnino recte admitti possit.

„Poterat, dicat quis. Officium enim appellamus, quod ratione actum est“. — Quomodo officium posse definiri concedimus; huic autem definitioni neque alteram divisionem in officium atque officia neque alteram in officia perfecta atque media recte subjungi contendimus; nam partium differentiae in ea non insunt. Praeterea hanc definitionem si veram putamus, cum Heinio atque Ungero paragraphum octavam ejiciamus aut certe officii medii definitionem mutemus necesse est. — Sed videamus, num illa definitione proposita officii naturam rectius intellegamus. „Officium est quod cur

factum sit ratio probabilis reddi potest aut, ut paucis dicam, officium est actio probabilis“.

Illud probabile, de quo hic sermo est, aut inesse potest in ipsis rebus, ad quas nostrae actiones diriguntur, quatenus nondum de nobis agentibus cogitatur, aut probabilitas referri potest ad nostram in his rebus actionem.

Quod ad res attinet, nostrae actiones diriguntur aut ad bonum aut ad malum aut ad eas res, quae cum neque sint bonae neque malae, recte res mediae nominari possunt. Ex illa igitur definitione supra proposita sequitur, eas solas actiones, quae aut ad bonum aut ad res medias pertineant, inter officia esse habendas. Si animum nostrum, unde actiones proficiscuntur respicimus, actiones nostrae nascuntur aut ex summa illa convenientia, in qua virtus est, aut ex animo a virtute alieno aut denique ex animo, qui virtutem quidem nondum assecutus est, attamen eam sequitur. Apparet, secundum illam definitionem actiones, quae ex animo a virtute alieno proficiscantur, cum officiis nihil habere commune.

Habemus igitur in illa definitione, unde profecti ad officii notionem pervenire possumus, habemus, ut ita dicam, generis definitionem, si officium ei, quod „non officium“ est opponimus, sed non habemus generis definitionem, in qua specierum differentiae insunt, sub qua officium atque officia, officium perfectum atque officia media subungi possunt. Tali autem definitione opus est, ut intellegatur, quid sit id, de quo disputetur. — Illa de qua supra dixi definitione accurate, quid non pertineat ad officium, indicatur, sed ad officii ipsius naturam atque indolem explicandam ea nihil fere valet. Quae cum ita sint, Cicero in hac disputatione facile ea carere poterat.

At dicat quis, nonne potest alia definitio excogitari, qua cum „quid sit officium“ exponatur, partium differentiae contineantur?

Si quid video, omnino nulla officii universi definitio potest constitui, certe nulla definitio officii universi ut a Stoicis intellegitur, cum hoc nomine jungantur, quae speciei quidem ejusdem, re vera diversi sunt generis. — Recte

statueremus officii universi definitionem, si res ita se haberet: „officium pertinet ad summum bonum, officia pertinent ad alia bona; officia perfecta proficiuntur ex summa virtute, officia media ex aliis virtutibus“. Quod secundum Stoicorum doctrinam non ita est. Stoici enim unum solum agnoscunt bonum idque summum nominant. Hoc autem, quod in virtute ponunt, excepto, aliae omnes res aut sunt malum aut res mediae. Sunt igitur non ejusdem generis cum illo summo bono ideoque actiones, quae ad summum bonum i. e. ad virtutem pertinent cum illis, quae ad res medias diriguntur, non uno genere comprehendi possunt. Eodem fere modo, si ad nos agentes respicimus, virtus apud Stoicos una est. Fieri non potest, ut aliquis in hac re sola virtute motus, in illa aliis causis ductus agat; sed homo aut totus ex virtute pendet aut virtutem omnino nondum assecutus est. Recte igitur contendunt, qui unam habeat, eum omnes habere virtutes; recte contendunt: „qui semel *κατορθοῖ*, semper *κατορθοῖ*“. — Unde sequitur, actiones ex virtute profectas diversi generis esse ab illis, quae ex quavis alia radice perfecta virtute excepta nascentur. Nam in virtute non sunt gradus: aut tota hominis vita ex virtute degitur aut ne unius quidem actionis quasi fons virtus esse potest. Quo fit, ut quod ad animum attinet sapiens solus idemque semper officiis perfectis fungatur.

Qua disputatione meo quidem iudicio evincitur, officii universi definitionem nullam posse statui, cum hoc nomine comprehendantur, quae non sunt unius generis.

Quae cum ita sint, tantum abest, ut Cicero propter illam praetermissionem reprehendendus sit, ut laude sit dignus, qui cum hoc recte intellexerit, dividat in officium et officia, in officia perfecta et officia media atque quid unumquodque sit exponat. Quod quomodo administraverit, nunc quaeremus.

Cicero primum dicit, omnem de officio quaestionem esse duplicem: unum genus pertinere ad finem bonorum, alterum positum esse in praeceptis, quibus in omnes partes usus vitae conformari possit. Hae duae quaestiones pertinent ad rem, ad quam actio dirigitur. Quas si Cicero omnino consentaneas red-

dere voluisset, ita fore loqui debebat: Unum genus pertinet ad finem bonorum, alterum ad res medias aut cum ex fine bonorum constituto quid sit officium appareat atque e disputatione de rebus mediis officia sequantur, dicere poterat, „unum genus pertinere ad officium, alterum ad officia“. Haec duo Cicero inter se miscet, ita ut in priorē sententiā parte dicat, „unum genus pertinere ad finem bonorum,“ officio, quod ex hac quaestione ducitur, non commemorato; in posteriore parte, „alterum sc. genus positum esse in praeceptis etc.,“ quaestione de rebus mediis, unde officiorum praecepta derivantur, omīssa. Quod cur fecerit Cicero, meo quidem iudicio satis idoneam habebat rationem: quaestio enim de officio magis est *θεωρητική*, quaestio de officiis magis *πρακτική*. Nam unum solum est bonum, ideoque unum solum officium, de quo, cum in hoc bono ipso simul insit, praecepta dare superfluum est. Multa autem sunt officia, cum multae sint res mediae. Quarum rerum mediarum quaestio cum necessario in quaestione de finibus insit, omitti poterat; praecepta autem officiorum, quae ad eas pertinent, erant afferenda.

In paragrapho septima igitur, quamvis non satis clarescit dictum, divisio inest in officium atque officia. De officio agitur in libris de finibus, de officiis Cicero in his libris disputationem instituit. Prioris quaestionis caput cum positum sit in inquirendo atque simul cum fine bonorum invento in hoc ipso fine officium appareat, theoreticam partem exprimit verbis „quod pertinet ad finem bonorum“ atque ad suam sententiam magis declarandam affert quaestionum exempla: omniane officia perfecta sint? num quod officium aliud alio majus sit? Alterius quaestionis cum, ut ita dicam, caput in praecipiendo positum sit, cum ex rebus mediis, quarum cognitio simul cum fine bonorum appareat, officia deriventur, practicam partem exprimit verbis: „quod positum est in praeceptis, quibus in omnes partes usus vitae conformari possit“. Itaque priori disputationis parti, cum magis sit *θεωρητική*, quaestionis significatio convenit, cum Cicero in posteriore, ubi non tam res medias, quam officia eo pertinentia respicit, quaestionis notione sublata potius ad

divisionem in officium atque officia attendisse videatur. Hoc modo meo quidem iudicio recte explicari potest, quod Cicero quaestionibus propositis addit: „Atque est alia divisio officii,“ cum nulla propria divisio antecesserit. — Quibus verbis, si quid video, Cicero alterum indicat, quod in disputatione de officio instituta quaerendum sit, sed haec verba non ita verbis: „omnis de officio duplex est quaestio“ respondere dixerim, ut in paragrapho septima de priore, nunc de altera quaestione agatur; verba, „omnis de officio duplex est quaestio“ potius referenda sunt ad ea sola, quae in paragrapho septima explicantur; sed haec duo genera quaestionum, quorum alterum pertinet ad finem bonorum, alterum positum est in praeceptis, quibus in omnes partes usus vitae conformari possit, subjungenda sunt illi quaestioni: quo nostrae actiones pertineant. Atque huic quaestioni, „quo nostrae actiones pertineant“ respondet illa divisio, quae in paragrapho octava continetur, in officium perfectum atque medium, nam ex definitionibus ibi allatis luce clarius apparet, nostram divisionem ad hanc quaestionem referendam esse, „unde nostrae actiones proficiscantur“. Atque hae re vera sunt duae quaestiones „quo nostrae actiones pertineant,“ „unde proficiscantur,“ quae in omni disputatione de officio proponendae sunt. Officia sunt actiones. In quaque actione duo sunt consideranda: „quid agatur et quomodo agatur“.

In priore quaestione res, ad quam actio refertur, nulla ratione habita ejus, qui agit, est consideranda. Res, ad quas actiones referuntur, possunt esse aut bonae aut malae aut neque bonae neque malae. Rebus malis in disputatione de officio locum non esse, jam supra diximus. Primum igitur ad institutionem de officio pertinet quaerere, quae res sint bonae, quae neque bonae neque malae. Quod si cognoverimus, dividemus officia in officia, quae pertinent ad res bonas atque officia, quae pertinent ad res neque bonas neque malas, quas uno verbo res medias appellare liceat. Cum autem bona res secundum Stoicorum doctrinam una sit virtus, prioris generis unum solum est officium, quod *κατ' ἐξοχήν* officium dixeris, cum pro multitudine rerum mediarum multa sint officia. Ex

illa igitur quaestione, quo nostrae actiones pertineant, sequitur divisio in officium atque officia.

Quam divisionem in paragrapho septima, quamvis non clare expressam, inesse, jam supra monuimus. Etiam explicare conati sumus, quomodo factum sit, ut Cicero in priore divisionis parte officii notione omissa quaestionem de summo bono efferat, cum in posteriore divisionis parte quaestione de rebus mediis neglecta officia spectet.

In altera quaestione, „quomodo actio fiat,“ apparet, rationem esse habendam animi condicionis, ex qua agatur. Actio igitur fieri potest aut recte aut male aut neque recte neque male. Male facta non inter officia numerantur. In officiis igitur habemus aut recte facta aut quae neque recte neque male facta sunt. Recte facta dicuntur officia perfecta; quae neque recte neque male facta sunt vel quae ita facta sunt, ut ratio probabilis reddi possit, dicuntur officia media. Ex illa igitur quaestione, „unde actiones nostrae proficiantur“ vel „quo modo fiant,“ sequitur divisio in officia perfecta atque officia media. Quae priora cum in sapientem solum cadere possint, frustra in hac vitae mediocritate quaeras. Cum enim Stoici non singulas actiones respiciant, sed totam vitam aut ex bono animo i. e. ex virtute aut non ex virtute degi statuunt, fieri non potest, ut, quod ad animum attinet, idem homo et officiis perfectis et officiis mediis fungatur sed aut semper officiis perfectis fungatur aut nunquam necesse est. Secundum Stoicos autem cum in sapiente solo virtus consummata conspiciatur, sapiens solus, idemque semper, officia perfecta facit; omnes homines, sapiente solo excepto, cujus exemplum in Christo habemus, officiis mediis funguntur.

Ex his duabus divisionibus conjunctis clarissime apparet id, de quo in his libris disputatur.

Cicero omissa disputatione de officio proponit institutionem de officiis i. e. de actionibus probabilibus, quae ad res medias non ad virtutem ipsam pertinent. Cicero omissa disputatione de officiis perfectis, quae in sapientem solum cadere possunt, disserere vult de officiis mediis i. e. de actionibus bonis,

quales ab hominibus mediocritate perfici possunt. Ciceroni igitur propositum est disputare de officiis mediis, quae pertinent ad res medias, quae quidem uno verbo „officia media“ dicas, cum fieri non possit, ut officia media pertineant ad virtutem ipsam, sed officia media etiam ad res medias referantur necesse sit.

Quae cum ita sint, tamen non recte contenderetur, has duas divisiones in officium et officia atque in officia perfecta et officia media esse easdem; nam etiamsi in vita congruerent, divisionis ratio diversa esset. Sed ne in vita quidem congruunt. Quod ut evidenter demonstrem, liceat quod antea simpliciter officium dixi, „officium perfectum, quod ad rem attinet“ appellare atque officia — „officia media quod ad rem attinet“.

In hac disputatione ut fortes esse possimus in rebus, liceat faciles esse in verbis.

Agitur „de officiis perfectis, quod ad rem attinet“ atque de „officiis perfectis, quod ad animum attinet“ — agitur „de officiis mediis, quod ad rem attinet“ et „de officiis mediis, quod ad animum attinet“. Demonstrandum est, has duas divisiones ne in vita quidem congruere.

Officio perfecto quod ad rem attinet, exempli causa τῇ ᾗ ἰσχυρῶς, eum hominem solum posse fungi, qui virtutem non sequatur, sed jam assecutus sit, per se patet. Sapiens igitur solus, ut unico quod exstat sapientis exemplo utar, Christus solus „officium perfectum, quod ad rem attinet“, perficere potest.

Officia media, quod ad rem attinet et sapiens et ceteri homines perficere possunt. Omnes enim actiones, quae non ad virtutem ipsam, sed ad vitam communem vel ad res medias pertinent, quae etiam in sapientis vita saepe inveniuntur, sunt officia media quod ad rem attinet. Ut exemplo nostro utar, si Christus promissum facit, depositum reddit etc., quod ad rem attinet, haec sunt officia media.

Quomodo autem res se habet, si officia quod ad animum attinet spectamus?

Hic nunquam atque nusquam sapiens officio medio fungi potest; quidquid facit, quod ad animum attinet, cum ex virtute consummata proficiatur, est officium perfectum. Sed cum fieri non possit, ut aliquis modo ex virtute modo non ex virtute agat, quoniam hic semper de virtute perfecta, non de virtute inchoata sermo est, ceteros homines nunquam officiis perfectis, quod ad animum attinet, fungi posse, jam supra commemoravimus.

Ex iis, quae a nobis disputata sunt, sequitur, sapientem secundum Stoicorum doctrinam, quod ad animum attineat, solis officiis perfectis fungi posse; quod ad rem, et perfectum officium et media officia non solum facere posse, sed, si ad Christum respicimus, etiam fecisse.

Ceteri homines cum virtutis consummatae nondum sint participes et quod ad rem et quod ad animum attinet solis officiis mediis fungi possunt. In nostra igitur vita, si Christum omittis, officia media quod ad rem attinet, congruunt cum officiis mediis quod ad animum attinet. Hinc si quid video ille error, de quo dixi, ortus est.

Duas illas quaestiones, quibus tractandis Cicero id, de quo disputaturus est, accuratissime describit, non propriis quidem verbis proponit, sed in duplici quaestione, de qua paragrapho septima agitur, re accurate disquisita cognoscitur — sit venia verbo — subdivisio quaestionis, „quo actiones pertineant“ atque divisio paragrapho octava proposita facile subjungitur illi alteri quaestioni, „unde actiones proficiantur“.

Quae cum ita sint, Cicero illo vocabulo „divisione“ excepto, quod si non ab omni reprehensione absolvi, certe excusari potest, totam rem optime administravit, cum non allata generis definitione, ubi de rebus agitur, quae non sunt unius generis, potius altera quaestione proposita „quo actiones pertineant“ et officii et officiorum notionem optime declararet, altera, „unde actiones proficiantur“ disquisita, officia perfecta atque officia media definiat.

Meo quidem iudicio, ut totius disputationis summam paucis comprehendam, neque ullum verbum excidit neque

ullum verbum superfluum est. — Officii generis definitionem Cicero non avert, cum talis definitio omnino afferri non possit; definit per divisionem et quidem per duplicem divisionem, quarum neutra carere possumus ad intellegendum quid sit id, de quo disputetur.




[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)

[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)

[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)

[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)



Lo 40.625  
Disputatio de Omissa a Cicerone, ut  
Widener Library 006957440



3 2044 085 197 275

[www.libtool.com.cn](http://www.libtool.com.cn)